

DAMASUS Romanae urbis Episcopus, elegans in verbis componendis ingenium habuit: multaque & brevia metra edidit: & prope octogenarius sub Theodosio principe mortuus est.

GREGORIUS Nazianzenus Episcopus, vir eloquentissimus, praeceptor meus, ex quo scripturas explanante didici: ad triginta millia versuum omnia sua opera composuit: ex quibus illa sunt de morte fratris Cypriani: laudes Athanasii, laudes Maximi Philosophi post exilium reversi, quem falso nomine quidam Herona subscripserunt: quia est & alius liber vituperationem ejusdem Maximi continens, quasi non licuerit eundem laudare & vituperare pro tempore. Et liber hexametro versu virginis & nuptiarum contra se differentium. Adversum Eunomium libri duo. Et de Spiritu sancto liber unus. Contra Julianum imperatorem liber unus. Secutus est Polemonem dicendi charactere: vivoque se Episcopum in loco suo ordinans, ruri vita monachi se exercuit: decessitque ante hoc ferme triennium sub Theodosio principe.

## CENSURA EPISTOLAE SEQUENTIS.

Ne tantulus quidem in hac Hieronymi gustus, ino barbarum quiddam ac notericum sapit.

AD PAULAM ET EUSTOCHIUM  
de virtute Psalmorum.

QUIA me dulcissimae filiae meae, in spe misericordiae Dei petistis: ut vobis diversos psalmos per orationem sequerem, qui ubi psalli debeant: Vos quoque ego petii pro me deprecare Dominum Deum nostrum, ut dono suo mihi concedere dignaretur, quo possim sanctam petitionem vestram arripere, vel ipso donante complere: in cuius misericordia sperans (prout Dominus concedere dignatus est intellectum humilitati meae) necesse habui tam sanctae petitioni vestrae, pro affectu Domini nostri obedire. Pro quo opere si nobis gratia fuerit integrè assignata, de omnibus quaecumque dicta sunt, ipsi Domino nostro omnipotenti pro humilitate mea orantes, gratias referte: qui etiam athenae loqui praecepit quae ipse Dominus voluit.

Licet enim universi psalmi qui requisitus fuerit, legis divinae propemodum omnia habeant, tamen donante Deo & Domino Jesu Christo & Spiritu sancto in confessione Trinitatis, qui psalmi proprie ad singulos dies feriatos Domini Salvatoris nostri Filii Dei pertineant, sequestratim exposuimus: Qui ad natalem, qui ad sanctam Epiphaniam, id est, ad baptismum dominicum sive apparitionis stellae diem: & qui in quinta feria ante passionem Domini: & qui in ipsa passione dominica, qui in pascha resurrectionis ipsius Domini nostri redemptoris: & qui in ascensione ejus in caelos: qui etiam in adventu ejus: & qui de judicio futuro: & qui de civitate aeterna, in qua Christus Dominus noster, sanctos suos a principio mundi usque ad finem hujus saeculi, sibi congregat secum congregaturos in aeterno regno caelesti, sanctus Dominus, trinus & unus Deus aeternus: qui etiam ad Dominum Deum deprecandum in litanis: vel qui a penitentibus psalli debeant: qui etiam in natali sanctorum dici debent. Caeteros vero psalmos invenies qui quotidie legendi sunt.

Omnes tamen psalmi quotidie in toto anno per ordinem psalli possunt, secundum consuetudinem Ecclesiarum & monasteriorum. Sanè qui legis, considera quia unus psalmus ad multos dies sanctos pertinet: & psalmi Deo multipliciter iterantur per singulos dies. Nam est psalmus qui ubique psalli potest. Alii iterum sunt qui ad unius diei figuram pertinent, ad paulantes vero qualis personae fieret: utrum religiosae an laicae. De psalmis qui quinta feria ante passionem: aut qui in ipsa passione Domini dicuntur: atque in natales sanctorum exinde eligendi sunt psalmi: ita etiam de canticis Prophetarum fecimus, ut non in diebus supradictis confusè psallantur: sed qui in quo die dici debeant qui legis invenies.

Ad majores operas pertinet psalmus LXXVII. Caerechumenis & electis XXIII. Per jejunium XIX. XXXIII. & LXXII. De baptismo per pascha LXXXIII. De lamentatione CXXI. Ad conventionem fratrum CXXXII. Ad benedictionem CXXXIII. Ut laudes ante Deum fundantur, nonus. Ut peniteat ho-

mo, quinquagesimus. De fixa fide X. De monendo, centesimus octavus. Ut oculum pudicitiae agas, primus. De vigiliis in grabbato VI. De iustitia XIII. De honesta oratione, octogesima quintus. De communione cum omnibus hominibus vel pauperibus XL. De natali Domini CIX. De trinitate, ut non timeatur homo IX. De insidiis haereticum III. De monendo proximum IIII. De spe in Deum XII. De crudelitate X. De oratione in homine XXX. Benedictio super principes XX. De amore legis XXVI. De tribulatione inimicorum, vigesima quintus. Ut creatura creatorem laudet CII. De martyrio XLIII. & L. De persecutoribus LXXXII. Dum intras ad alienigenam LXXXI. Oratio super agrum LXXVIII. Oratio nocturni temporis, nonagesimus. Oratio ad altare, tricimus tertius.

## CENSURA EPISTOLAE SEQUENTIS.

Et hic quisquis fuit conatus est suas neugas Hieronymiani nominis umbra praeferere. Quam apud vero congerit autorum nomina, è quibus tamen nihil adducit, quia nihil illorum legerat. Chrysostomi commentarios nominatim citat: cum dicit Hieronymus Chrysostomum proferat ignoravit, ut taceam interim aetate divi Hieronymi non solere quemquam à communione depelli, quod novo verbo vocant excommunicari, nisi qui ad eam pertinisset Ecclesiam. Quam vero serio agit rem de panibus non eripiendis. Credas ventrem loqui, non hominem.

AD DAMASUM DE OBLATIONIBUS  
altaris.

NOVERIT sancta autoritas tua Papa venerande: quia de quaestione quam clientulo tuo proposuisti, & congrua responsa per Epistolam mandasti, hoc est de panibus à fidelibus in altari oblati: quis illis iure uti debeat. Quantum à praecipuis Ecclesiae doctoribus investigare valui: in paucis tibi rescribere curavi. Testes autem idonei quos ad hanc rem corroborandam concitavi, hi sunt: Gregorius Nazianzenus mirabilis doctor, Cyrillus, Athanasius, Theophilus, Anatolius, Joannes Chrysostomus, Eustachius, Eusebius chronographus, & noster Hilarius: qui omnes uno ore eodemque consensu veluti vera sancti Spiritus organa, anathematis mucrone censent esse feriendos, qui in usus laicorum panes oblationum contulerint: quia omnino sacerdotibus solis debentur: nisi forte religionis gratia, laici pro benedictione de manu sacerdotis accipiant. Non solum autem de panibus in Ecclesia hoc sanxerunt patres nostri: sed de omnibus quae altari offeruntur: dicentes atque docentes, magnum nefas esse, & per omnia diabolica temeritate hoc fieri ubicumque acciderit: & valde esse intolerabile sanctae Ecclesiae: ut sine vindicta sanctorum canonum remaneat.

Unde Chrysostomus in commentariis super Mattheum, ubi discipuli spicas manibus vellebant sabbato, & pharisaei reprehendebant, sic ait: Si non licuit David & viris ejus adhuc sub umbra legis comedere panes propositionis, quando ab Abimelech panes petiti fame stimulante: quomodo nunc Evangelio coruscante persuaderi debet laicis, ut oblationum panum Deo oblatorum suis usibus rapiant? Dicit namque perinde Apostolus: Qui altari serviunt, de altari participent. Ergo quia sacerdotes pro omnibus orare solent, quorum elemosinas & oblationes accipiunt: qua fronte praesumunt laici oblationes, quas Christiani pro peccatis suis offerunt, vel comedere, vel aliis concedere: cum ipsi non debeant pro populo orare? Ob hoc Papa gloriose mittere oportet illos praesumptores in excommunicationem perpetuam, ut caeteri metum habeant, & amplius haec in Ecclesia ne fiant.

## CENSURA EPISTOLAE SEQUENTIS.

Quid opus est in hoc argumentis uti, regulam hanc non esse Hieronymi, cum id totus sermonis insulsi character adeo palam praeseferat, ut vel ab indoctissimis sentiri queat? Ipse non possum satis admirari tam insipientem hominem impudentiam. Quanta cum auctoritate loquitur: Putes Apostolum aliquid esse. Et hic impostor ipso Paulo felicior, in corpore constitutus fructus est visionis divinae, totos opinor menses inter

seraphim versatus. Deinde corpori redditus: cum antea dixisset in corpore cerni, redibat nobis praesens futurorum. Nam hujusmodi portenta de se scribit suppositivus hic Hieronymus: qui si prodigiosam habuisset suam, & ineptissimam loquacitatem mutare potuisset, plane Hieronymus erat. Nunc auriculae prominentes produunt asinum, & totus sermo clamitat indignum fuisse qui in Divi Hieronymi culina ministri locum teneret. Sed audi jam lector bellam praefationem, qua non Hieronymum exprimit jam senem, quemadmodum conatur, sed ebrium aliquem, vino simul & aetate delirantem.

PROEMIUM IN REGULAM  
Monachorum.

TEPESCENS in membris proclivum corpus ad terram ex qua exiit: jamque rugosa fronte senem & naturam penè portentum: vester praedilectae in Domino filiae, & Dominae Christi virginis sacratissimae, Eustochium & reliquae, ad agni novas nuptias, sub obedientiae, pudicitiae, paupertatis, & religionis in domo Domini adunatae proposito: nimium sollicitae pie devotionis ac charitatis affectus, ut tremulenta manus tuae parumper vetustatis oblita: Deo vivendi, non mundo: spiritui, non carni: & quod arduum est, non sibi ipsi, normam & regulam, ex Christi & Apostolorum vita collectam: ex sanctorum etiam patrum Anachoretarum, quos per septem annos eremorum antea circumiens, non sine admiratione & informatione reperi, observationis & imitationis digno commendandam praerogatione: in praesenti libello edoceat officio calami, paratas mentes ad bonum, veluti lingua jam dudum solebat voce non mortua. O felix affectio: O desiderium in Domino commendandum: ut quae deficiente per senium & communem aetatis finem lingua doctoris, de casu timetis: qui promptus est, praesumptuosus & non timide ambulantis in via Dei: in qua tot latent adversa, quot momenta sunt temporum. Exposcit vestra pietas, ut depicta sibi pericula, & fomenta remedii proclivis semper ad malum à primordio juventutis rationalis & animalis animus cernens gradiatur per tuta. O prudens consilium, ut pro voce scripturam: & pro facili ter transenti, diu mansurum commutet. O iusta & sancta exhortatio, & perdidici exauditionis beneficio.

Sed praedilectae filiae: & si iustum & sanctum est, quod petitis à patre: patris tamen negat aetas: prohibet insufficientia, licet ingratum charitas. Stupent oculi palpitantes in tenebris, horret naturae phrenesi inconstans manus peragere juvenilia. Hortatur tamen semper charitatis ardor, ne parcat labori, unde tantus colligitur fructus: quem non putarem in vobis carperè, quae scripturis de Domini voluntate melius estis edoctae, ut blandimentis aliquid fatear, licet veritatis: nisi ad alias succedentes per tempora informandum traheretur tantus hic labor. Vincat igitur duellum hoc charitatis: quae ipsum invincibilem vicit, ut immortalis moretur pro nobis. Verum frustra haec speratur victoria in tanta impossibilitate naturae, nisi devotae orationes filiarum adfuerint: quibus Deus paruit in tantum ab antiquo, ut etiam eum peniteret eorum quae primitus minando spondebat, quamvis penitere non possit.

DE CHARITATE ET UNITATE  
servanda.

## Caput I.

QUIS autem in monasterio constitutus sororibus primus sit arripendus modus Deo vivendi & regula, ipse solus Christus hujus propositi inceptor & doctor, in unius responsione instruit universos. Si vis, inquit idem magister haec petenti, ad vitam ingredi, serva mandata. Quod si forte queratur quae sint: illico sic percunctanti, exposuit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, mente, & viribus tuis: & plus quam teipsum, & proximum tuum sicut teipsum. In his duobus praecipis pendet quicquid est legis, quicquid etiam Prophetarum & sanctorum viri percurtati sunt.

Et attendite sollicitè quaeso charissimae: quae ingredi non solum totis affectibus cupitis ad vitam, quae verè vita est (nam viventibus in mundo vita non est, sed mors) sed jam Dei auxilio estis iter ingressae, quod sine praecipis charitatis

Tom. V.

non ingreditur quisquam ad Deo vivendum. Propter hoc enim Apostolus Paulus non gloriatur in linguis angelorum & hominum, non in cognitione mysterium Dei, non in spiritu Prophetiae, non in alperitibus carnis, non etiam in elemosynarum operibus, quamquam ad omnia pietas valeat, dummodo charitas non desit.

Haec itaque sola reddit hominem Deo viventem, haec religiosus, haec monachos facit: sine hac monasteria sunt tartara, habitatores sunt demones. Cum hac verò sunt paradisi in terris: & in eis degentes sunt angeli. Ideoque mihi dilectae filiae, licet longa vos macerent jejunia, abjecta & nigra vestis deformet, longa officiorum & operum texatur series: si intus desit charitas, ad infimum nondum religionis gradum perventum est. Propterea charissimae hic incipientium est iter, ad Apostolicam perfectionis apicem.

Si verò relativa est charitas, & ad unum non potest proprie dilectio fraterna dici: idcirco est necesse quod plures sint, qui se mutuo ex charitate diligant: ut dicatur juxta Prophetam: Bonum & jucundum est habitare fratres in unum. Quod satis approbat sapientia dicens: Frater qui simul juvat à fratre, quasi civitas firma. Et iterum. Si fuerint duo simul, fovebunt se mutuo: sed si unus gradiatur & cadat, vae soli, quoniam sublevantem non habet. Propterea solitariorum vita quam satis expertus sum, periculosissima est & ardua: & si bona & quampluribus Deo vicina, non tamen aequè secuta est, ut simul habitantium in vinculo dilectionis & charitatis affectu. Qui sibi invicem per tentamenta deficientibus auxiliantur, sibi invicem administrant pietatis & charitatis obsequia. Sed certè si fratres aut sorores simul in unum non habitent: non jam bonum, sed malum est. Nihil bonum divinum.

Omne etiam secundum philosophos intantum habet bonitatis, inquantum unitatis attinens suae naturae. Quod si singulum unum in tota mundi machina per se creatum est bonum: non tamen est optimum, nisi caeteris nexum. Propterea in exordio mundi vidit Deus, quod cuncta quae fecerat, erant valde bona. Idcirco charissimae in Apostolica vita vobis de saeculo adunatis per corpora: sit cor unum, & anima una in Domino, velut de Apostolis & de ipsis Apostolicis viris in actibus eorum legitur: Multitudinis incedentium erat cor unum & anima una in Domino. Nulla vita pro certo est deterior, quam simul degere corpore & non mente. Et verè infelices sunt, quibus non in est una, sed diversa voluntas.

Sic itaque vobis semper unus affectus, una voluntas, una fraternitas, una proportio morum, una jucunditas, una tristitia: ne quod altera placet, displiceat altera: quo gaudet altera, tristetur & altera. Et sic habere poteritis religionis propositum, si unanimes in domo Dei habitetis. Haec vera vita Dei, non diaboli: verè monasterium, non infernus: verè vita religiosa, non diabolica.

De non habendo aliquid proprium.

## Caput II.

ANTE mentis vestrae oculos semper Evangelicum illud appareat stolidissimi viri illius exemplum: qui edificium suum quod summopere fecerat, ingruentibus fluminibus, flantibus ventis, & imbris inundantibus pluviarum, totum amisit in casura: quoniam aedificatum erat in sabulo. Nec mirum charissimae, firmum enim quid aut stabile, in mobili diu manere non potest. Aedificat fatuus ille in sabulo, qui in vita Apostolica & religionis proposito appetit temporales divitias. Hic attendite filiae diligenter: hic periculum omne est, hic interitus, hic mors aeterna.

Qui jam renunciaverunt omnibus quae possident: qui relictis omnibus quae habebant in saeculo, ad Christum imitandum pauperulum, qui ubi caput reclinet, non habet: concurrentes ex voto, sub juramenti pollicitatione promiserunt, nihil temporale, nihil terrenum praeter Christum solum, non solum possidere, sed nec etiam appetere, quae jam dimiserunt, tenere vel quaerere debent. Hinc Christus Apostolis non portare sacculum, neque peram, neque as in zonis mandat: ut ex hoc intelligant eorum vita seclatorem, quod nihil proprium in monasteriis licet habere. Certè non tunicam, nisi quae ex necessitate portatur: non caligam, nec aliud minimum quodque.

Verum & si Christus & Apostoli aliqua quae sibi dabatur, D d ij.